

Franckesche Stiftungen zu Halle

Pavli Manvtii Commentariivs In M. Tvllii Ciceronis Epistolas Ad Diversos

Accedvnt Eivsdem Scholia Et Hieronymi Ragazonii In Easdem Ciceronis
Epistolas Commentariivs

Manuzio, Paolo

Lipsiae, A.C. MDCCLXXIX

VD18 90852230

Epistolae XV.

Nutzungsbedingungen

Die Digitalisate des Francke-Portals sind urheberrechtlich geschützt. Sie dürfen für wissenschaftliche und private Zwecke heruntergeladen und ausgedruckt werden. Vorhandene Herkunftsbezeichnungen dürfen dabei nicht entfernt werden.

Eine kommerzielle oder institutionelle Nutzung oder Veröffentlichung dieser Inhalte ist ohne vorheriges schriftliches Einverständnis des Studienzentrums August Hermann Francke der Franckeschen Stiftungen nicht gestattet, das ggf. auf weitere Institutionen als Rechteinhaber verweist. Für die Veröffentlichung der Digitalisate können gemäß der Gebührenordnung der Franckeschen Stiftungen Entgelte erhoben werden.

Zur Erteilung einer Veröffentlichungsgenehmigung wenden Sie sich bitte an die Leiterin des Studienzentrums, Frau Dr. Britta Klosterberg, Franckeplatz 1, Haus 22-24, 06110 Halle (studienzentrum@francke-halle.de)

Terms of use

All digital documents of the Francke-Portal are protected by copyright. They may be downloaded and printed only for non-commercial educational, research and private purposes. Attached provenance marks may not be removed.

Commercial or institutional use or publication of these digital documents in printed or digital form is not allowed without obtaining prior written permission by the Study Center August Hermann Francke of the Francke Foundations which can refer to other institutions as right holders. If digital documents are published, the Study Center is entitled to charge a fee in accordance with the scale of charges of the Francke Foundations.

For reproduction requests and permissions, please contact the head of the Study Center, Frau Dr. Britta Klosterberg, Franckeplatz 1, Haus 22-24, 06110 Halle (studienzentrum@francke-halle.de)

[urn:nbn:de:hbz:5:1-219543](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:5:1-219543)

Res Romanas] Ἐμφρασις est in verbo, *Romanas*. sic lib. 4. ad Attic. epist. 16. *Ad quid laboramus res Romanas?* Et lib. 6. epist. 8. *Velim dispicias res Romanas.* Et alio loco: *Iam exclames necesse est, res Romanas diutius stare non posse.*

EPISTOLAE XV.

ARGUMENTVM.

Si quis Coelii tres epistolas legerit, quibus Cicero respondet, lib. 8. n. 13. 17. is magnopere nostram interpretationem non desiderabit. Epistolae capita sunt haec, de supplicationibus suis, de filiae et Dolabellae nuptiis, de sua sollicitudine ob ciuiles discordias, de rationibus, quibus adductus C. Coelius, quaestorem suum, prouinciae praeposuerit; de Ser. Ocella in adulteriis deprehenso, de rebus ab aedili Coelio gestis, de suo ad urbem reditu. Tota negotialis epistola: respondet enim ad ea, quae Coelii litterae significauerant. nam rationes de quaestore prouinciae praeposito, quis non videt ad negotiale genus pertinere?

EXPLANATIO.

Prudentius] Quia scripserat Coelius lib. 8. epist. 11. *ad pacem nem descendimus.* quod optimum in re difficili Curionis et Coelii consilium fuit.

De supplicatione] Mihi confecta, quinque dierum, ut opinor. nam ordinaria, quae consularibus decernebatur, longior non fuit. quod ex Liuii loco docemur. is enim lib. 45. c. 2. de supplicatione Paulo Aemilio ob Macedonicam victoriam decreta, sic inquit: *Supplicatio pro concione populi indicta est ex ante diem v. Id. Ost. cum eo die in quinque dies.* Extra ordinem Pompeio duplicata est, confecto Mithridatico bello, ut esset decem dierum, quae quinque fuerat. quamquam in orat. de prouinciis c. 11. modo decem, modo duodecim legitur. ego tamen decem probō: ut consularis duplicetur supplicatio: quam quinque dierum fuisse, exemplo Pauli, proxime re-

citato, cognoscitur. nam C. Mario supplicationem decretam plurium dierum, quam Paulo, id est, sex fortasse, aut septem, pauciorum quam Cn. Pompeio, cui duplicata est supplicatio consularis, quod ante contigerat nemini, declarat eadem oratio, et apte quadrat, ut, quemadmodum Pompeio quinque dies amplius, quam ceteris, item Caesari quinque amplius, quam Pompeio, extra ordinem tribuantur, ut essent quindecim omnino: quod, praeter eandem orationem, ostendit ipse Caesar lib. 2. de bell. Gall. c. 35. posteaque aliis rebus gestis, eandem quinque dierum accessionem esse factam, decretamque sibi viginti dierum supplicationem, idem scripsit lib. 4. c. 38. ibidem. *Supplicatio* autem dicebatur, cum populus vniuersus ad omnia deorum templa, caesis victimis, de victoria parta gratulabatur. quibus diebus nihil agere cum populo licebat:

ebat: vt lib. 2. ad Q. Fr. epist. 5. Cicero docet his verbis: *Consulest egregius Lentulus: dies comitiales exemit omnes. nam etiam Latinae instaurantur: nec tamen deerant supplicationes. sic legibus perniciosissimis obsistitur.* De gratulatione autem in supplicationibus ad omnium deorum aras facta, cum alibi, tum lib. 11. epist. 18. et lib. 15. epist. 5. et Philip. vlt. c. 3. sic: *Gratae vero nostrae diis immortalibus gratulationes erunt, gratae victimae, cum interfecta sit ciuium multitudo.* Et in eadem, c. 14. *Praetor urbanus supplicationes per dies quinquaginta ad omnia puluina constituat.* Atque hic honor adeptis victoriam ciuibus, simul cum imperatoris nomine, a senatu decernebatur; vt ex eadem Philip. c. 4. et Coelii lib. 8. epist. 21. et aliis praeterea locis plane cognoscitur. A principio, vno tantum die supplicatum existimo; postea numerum ambitione auctum. ante Camilli victoriam de Veis nemini quattuor dierum supplicatio decreta: vt ait Liuius lib. 5. c. 23. aliquot post annis Papirio et Caruilio coss. quia Samnites vicissent, item quattridui supplicatione publicum gaudium celebratum esse, idem lib. 10. c. 45. narrat. Senatus augendi, aut minuenti dierum numeri potestatem habuit: video enim, multis post annis Neroni et Salinatori, in maiore, quam Camilli, aut Papirii, Caruiliique victoria, nempe ob Hasdrubalem, Hannibalis fratrem, cum exercitu caesum, trium dumtaxat dierum supplicationem decretam. quod ab eodem lib. 27. c. 51. proditum obseruauit.

Is] Hirrus.

Iratus] Quia superatus a Cicerone in petitione auguratus.

Ei] M. Catoni.

Diuinis laudibus] Non decreverat Cato supplicationem, locutus tamen erat honorifice de rebus ab eo gestis. vide epistolam ipsius Catonis, et eam, qua Cicero respondet, lib. 15.

Quae sequuntur] Triumphum significat: qui plerisque post supplicationem dabatur.

Dolabellum] De cuius affinitate gratulatus erat Coelius lib. 8. epist. 12.

Ea] Vitia quaedam Dolabellae, quibus illum sibi antea parum utilem fuisse, et emendatum iri pudore Tulliae, scripserat Coelius.

Cui tuae epistolae respondeant] Cum qua congruant epistolae tuae. congruunt enim cum ea, qua reum a Dolabella factum esse Appium significaueras. hoc igitur videris dicere, moderatiorem in posterum fore. *Respondere* valet hic, consentire, conuenire. similitudinem enim significat. Epist. 5. *Non, quo verear, ne tua virtus opinioni hominum non respondeat.* De Vniuersitate: *Dextra dextris respondent.* Lib. 3. de Fin. c. 22. *Quid posterius priori non conuenit? quid sequitur, quod non respondeat superiori?* In oratore c. 43. *Forensibus nostris rebus etiam domesticae litterae respondebunt.* Virgilius lib. 1. Aen. v. 585.

— *Dislis respondent cetera matris.*

Quae significatio cum et his, et aliis exemplis notissima sit, fugit eos tamen, qui legendum putant, *respondeam*: errore puerili: quo enim referetur, ea? quod ad, *respondeant*,

ant, spectare, nisi qui prorsus in literis caeci sint, omnes vident. est autem ordo: scio, cui tuae epistolae respondeant ea, quae scribis Tulliae meae prudentia temperari posse. ut dandi casu, *tuae epistolae*, dictum sit, non nominandi, ut acceperunt ii, qui elegantissimum loquendi genus non agnouerunt: unde temeritas, mutandique libido nata est.

Ex tuis litteris] In quibus Dolaellae sermonem perscripserat, de Tulliae nuptiis et Ciceronis affinitate gloriantis. de quo sic lib. 3. epist. 10. *Cuius sermo stultus et puerilis, erit iam antea ad me a M. Coelio, familiari nostro, perscriptus.* Hae Coelii litterae non exstant.

Misi ad Appium] Significat lib. 3. epist. 10.

Sic vivitur] Sic vitae consuetudo postulat.

Quod actum est, dii approbent] Lib. 3. epist. 12. Ego vero velim mihi, Tulliaeque meae, sicut tu amicissime et suavissime optas, prospere evenire ea, quae, me insciente, facta sunt a meis.

Tua humanitas] Quae tua est humanitas, bonum et iucundum generum mihi praestabis.

Respublica] Perturbata contentionibus civium: cum ex Gallia revocari Caesarem optimates cuperent, contra quam lege Trebonia concessum fuerat; tribuni vero plebis, maximeque Curio nihil contra Caesaris existimationem decerni pareretur. lib. 8. epist. 11. et 12.

Faveo Curioni] Quem a puero dilexerat. epist. 1.

Caesarem] Cuius in Gallia lega-

tus fuerat Q. Cicero: et summam erga se, fratremque suum liberalitatem extollit Cicero lib. 1. epist. 9.

Honestum esse] Ne honor eius imminuatur. imminuitur autem, si, ante datum lege tempus, ex provincia reuocatur.

Emori possum] Cuius in primis opera sum ab exilio restitutus. sic lib. 8. ad Attic. epist. 2. *Pro Pompeio lubenter emori possum. facia pluris omnium hominum neminem.*

Non valde te iactas] Nondum Coelius ad Caesaris causam propendebat.

Bonus civis] Fauces enim optimatibus, et senatui; quia Caesarianos homines diligis, maximeque C. Curionem, et M. Antonium. Scripserat enim Coelius lib. 8. epist. 14. *Mearum rerum quid consilii capiam, non reperio. Nam mihi cum hominibus his et gratia et necessitudo est; tum causam illam, non homines odi.*

Coelium] C. Coelium, ad quem scribit epistolam ultimam huius libri.

Praeposui] Ut, praeter quaestoriam potestatem, auctoritate atque imperio proconsulis vteretur. quo modo enim sine imperio, si res ferret, bellum gerere potuisset? ideo P. Sextius proconsul vocatur lib. 5. epist. 6. qui tamen quaestor in provinciam profectus erat. Nec aduersatur illud lib. 7. ad Attic. epist. 7. *Senatum bonum putas, per quem sine imperio provinciae sunt?* Nam significat eos, quos senatus, populusque cum imperio mittere consuevit. praecerant enim quac-

quaestores, aut legati, a decedentibus proconsulibus relictī.

Puerum] Sic lib. 6. ad Attic. epist. 6. Nos prouinciae praefecimus Coelium: puerum, inquires, et fortasse fatuum, et non grauem, et non continentem. assentior: fieri non potuit aliter. Nam, praeter fratrem, nemo erat, quem sine contumelia quaestori, nobili praesertim, anteferrem.

Nobilem] Non sua, sed maiorum virtute. adhuc enim erat adolescens. *nobiles* autem non patricii tantum, sed plebei etiam homines appellabantur. honoribus enim, qui aliqua virtute excelleret, Romae nemo excludebatur.

Omnium fere exemplo] Plerique enim, de prouincia decedentes, praeponebant quaestorem solebant. epist. 18. Legebatur olim in vulgatis omnibus libris, *exemplum*. nos ex antiquis, et more Latini sermonis, et ex ipsa quoque sententia, primi reposuimus, *exemplo*.

Pontinus ERN. *Pontinius*] Qui legatus fuerat Ciceronis, et Coelium honore superabat, non quod legatus, sed quod praeturam gesserat, atque etiam de Allobrogibus triumphauerat. praeturam Cicero, Sallustius, Epitome Liuiana, triumphum Dio nominat.

A Q. fratre] Legato, qui et ipse praetorius erat, Asiamque per triennium rexerat. Quattuor legatos habuit Cicero in prouincia, fratrem, Cn. Pontinium, M. Anneium, L. Tullium: quos nominat lib. 15. epist. 4.

Vt senatus voluisset] Facto senatus consulto, de quo epist. 7. et 13. huius libri, et 6. lib. 15. et lib. 6. ad Attic. epist. 6. *Videbam*

sermones: hui! fratrem reliquit? num est hoc, non plus annum obtinere prouinciam? quid, quod senatus eos voluit praeesse prouinciis, qui non praefuissent? at hic triennium.

Quoniam alterum me reliquissim] Nonius: Fratrum proprietatem Nigidius acutissime dixit: Frater est, inquit, dictus, quasi fere alter.

Senatum eos voluisse prouinciis praeesse] Senatus hoc decreuerat eo senatus consulto, quod Coelius ad Ciceronem misit cum epist. 8. lib. 8.

Duorum] Pompeii, et Caesaris: de quibus lib. 6. ad Attic. epist. 6. Pompeius, eo robore vir, iis radicibus, Q. Cassium sine sorte delegit, Caesar Antonium: ego sorte datum offenderem? aut etiam inquirerem in eum, quem reliquissim? Hoc melius: et huius rei plura exempla.

Omnes Cassios Antoniosque complexi sunt] Eius enim honoris causa, quem Pompeius in Q. Cassium, Caesar in M. Antonium contulit, ab vniuersa gente Callia gratiam inierunt.

Nobilem ERN. *Hominem adolescentem*] Pro, adolescentem, vt lib. 1. de Orat. c. 25. Neque haec in eam sententiam disputo, vt homines adolescentes, si quid naturale forte non habeant, omnino a dicendi studio deterream.

Alienare nolui] Effet enim ignominia, si quem ei anteferrem. epist. 18.

De Ocella] De Ser. Ocella, tri-duo bis in adulteriis deprehenso. Ocellas, ab oculorum paruitate nomina-

mina-